



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Victoria Virg. Et Mart. 11. Februarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

II. Fer. VITÆ SANCTORUM. 107
ad pœnitentia deputavit inducias : ne
quod de vitiis Infantia suscepit , rapiat
Adolescentia , invadit Juventus , corri-
gat vel Senectus . S. Pet. Chrys. ser. 42.

S. VICTORIA VIRG. ET MART.
II. Februarij.

GEmine VICTORIA triumphem
duxit : de Amore unum , de Tyranno
alterum. Uter pulchrior fuerit , tute ar-
biter esto. Anno igitur salutis trecente-
simo tertio , quod Christiani & coetus
pietatis causâ agerent , & sacros Codici-
es profano judici tradere recusarent ,
Diocletianus & Maximianus Impera-
tores omnibus tormentis in hos pu-
gnarunt. Sed quidni vincerent Chri-
stiani , quando felicissimo omne ex ho-
rum parte VICTORIA stetit , virgo in
ipsis cunis magna , magnisque signis jam
tunc futuræ sanctitati præludens ? Illud
unum quantum facinus fuit , cum obstre-
pente auribus castissimis Hymenæo ,
sponso mortali in amplexus ruente , ut
hos eluderet , quando alas non habuit ,
animos sumpsit , & è summo tecto præ-
ceps abiit , innoxia templum petiit , ver-
bisque conceptis sponsam Deo se devo-
vit , frustra homine interea nuces spar-
gente , quas illa cum rebus aliis humanis
dudum reliquerat . Igitur meritò de Vi-
ctoriâ judex desperavit , & ne à feminâ
trium-

108 VITÆ SANCTORUM. 12. Id
triumpharetur, incolumem cum fratre
domum ire à tribunali jussit. Sed nega-
vit illa pedem è pugnâ referre, negava
fratrem se agnoscere, qui non eundem
patrem (Deorum cultui abdictissimus
erat) Christum clamaret. Itaque lati-
mortis sententiâ virginis palmam invi-
tus judex cessit. Interea nunquam sa-
pius Superi VICTORIA M clamarunt.
Ex Surio.

*Nos qui ad incerta consurgimus, qui in-
ter insidias diem ducimus, qui horarum
varietates, momentorum motus, verborum
lapsus, actuum pericula sustinemus, quid
est, quod matutinâ prece totius dicti
custodiam nolumus postulare? quid est, quod
homini tuto tempore astare libet, Deo ne
puncto assistere libet?* S. Pet. Chrys.
serm. 34.

S. ANTONIUS EP. 12. Februarij.

Invidebis juventus suum ANTONIO
puerulo Doctorem. Hic, si nescis,
S. Spiritus erat. Hoc, neque alio magis-
tro primas ille literas didicit. Et vero
Minerval cælo dignum persolvit; sive
cum ludentis pueritiae societatem aversa-
tus viro digna puer egit, aras struxit,
aris thura, & quæ thure suavius olenit
apud Superos, preces dedit; sive cum
postea mundo totum fese surripuit. Nu-
minisque cultui inter monachos manci-
pavit.